Dissertatio
Inauguralis medica
De
Utero Duplici
Quam
Consensu et Auctoritate Gratiosi
Medicorum Ordinis
in
Universitate Litteraria Berolinensi
Ut Summi
In Medicina et Chirurgia Honores
Rite subi concedantur
Die XXV. M. Maji A. MDCCCXXII.
H. L. Q. S.
Publice defendet
Auctor

MICHAELIS MAYER
Hanoviensis.

Opponentibus
M. LEVI, Med. Dr.
J. VAN AGTHHOVEN, Med. Dr.
C. KROHN, Med. CD.

Berolini, typis Haynianis.

Veram uteri naturam sero cognovimus.

HALLER.

Viro Doctissimo semper Venerando

Joanni Schulze

Philosophiae Doctori et Artium liberalium Magistro, Potentissimo Regi Borussorum a Consiliis Intimis in Summo Magistratu Institutionis publicae Rerum Sacrarum et Medicarum, antehac Magni Ducatus Francofurtensis a Consiliis Intimis ac Supremis in Institutionis publicae Rebus aeque ac quondam Professori et Directori Illustris Gymnasii Hanoviensis, plurium Societatum Litterariarum sodali etc.

Hasce Litterarum Primitias

Uti Signum Gratae Piaeque mentis offert.

AUCTOR.

Prooemium.

Ommium singularum partium, ex quibus corpus humanum constat, organon uterus matrix, (ὑστέρα, μήτρα etc.) dictum ob destinationem foetui receptaculo serviendi, homini in naturae institutione haud erudito maxime est mirandum. Viro autem naturae vias diligentiori animo exploranti, praesertim docto medico fabricam corporis humani bene cognoscenti uteri insignis forma et structura, magna ejus functio optime instructa visque ingens ab omni corporis turgore vitali in-

dependens *a*) summam admirationem merito exprimunt. Jam Helmontius igitur recte dixit, „propter solum uterum est mulier id, quod est.“ — In normali statu omnibus anatomicis, physiologicis, aliisque talem stuporem cum moveat uterus, normam reliquenti adhuc major debet attentio.

Organismus humanus in omnibus singulis partibus formae, figurae, structurae, situs ac copiae respectu varietatibus est subjectus; quae jam in prima embryonis

---

a) Naegelé in opere suo (Erfahrungen und Abhandlungen aus dem Gebiete der Krankheiten des weiblichen Geschlechtes. Mannheim 1812. pag. 114) haec pronuntiat „Ich erwähne hier nur im Vorbeigehen die bey der Geburt eintretende Metamorphose der vitalitaets = Aeußerungen des Fruchtbehaelters, wodurch er in den Stand gesetzt wird, jene große Rolle zu spielen. Hier, wo die Irritabilität des uterus auf's Höchste gestiegen ist, wo sein Leben einen Grad von Selbstständigkeit, von autokratie erlangt hat, wodurch er auch bei allgemeiner Schwäche, in der asphyxie und selbst nach dem Tode noch sich kräftig bezeigt, hier rc.

oriuntis explicatione evolvuntur aut in homine jam adulto nascuntur paulatim.

Omnes varietates, tum in foetu tum in adulto, statum hominis prorsus sani refutant. Est igitur eas explorare ac notare disciplinae huic, quae dicitur anatomia pathologica. Varietatum autem, quibus anatomia pathologica gaudet, minus occurentium una est uterus duplex.

Hanc varietatem describere, exempla in scriptis et antiquioribus et recentioribus notata ac servata referre, et denique de classificatione quadam uteri duplicis naturae apta pronuntiare meam sententiam in hoc tentamine est propostium meum.

Ad hanc materiam disserendam primo sum impulsus, cum in vini spiritu servatum duplicem uterum viderim Heidelbergae; qui ante omnes memoratu dignus neque unquam literis proditus est, neque delineatus.

Cl. Naegelè professori artis obstetriciae Heidelbergae et auli consiliario, historiam de hoc utero clementer mihi referenti et multum debeo, et igitur gratiam ago maximam.

Ante saeculum decimum quintum et sextum nulli inveniuntur scriptores, in quorum libris uteri duplicis nuncius sit factus.

Itaque jam Tilingius *b.*) his verbis utitur „quod nullibi in anatomicorum libris duplicis uteri fiat mentio". Causam inspicere haud est difficile. Haecce cum abnormitas nostra aetate ipsa maxime rara sit, tales observationes priori aetate, studio explorandi multis e causis adhuc dormiente, negligi facile potuerunt. Tempore Christianam aeram praecedenti anatomia omni dignitate adeo carebat, status ne normalis qui-

---

b) Sectio II. §. 15. pag. 19. LINCEUS historia mexicana N. f. pag. 504.
Miscellania naturae curiosorum Decuria I. ann. I. observ. X. pag. 226.

dem singularum partium satis cognitu fuifset. Itaque inveniri non poterant varietates, quae sola comparatione cum normalitate cognoscuntur.

Apud plures populos illius temporis ipsa religio cadavera aliis immunda ali sacra ne tangi quidem jufsit.

Graeci, in omnibus caeteris rebus audaces explorandi observandique studentes, nimis sacrum habuere corpus defunctum, quam ut ejus sectionem permisifsent. Severe is punitus est, quem officium ipsum ad patriae salutem movere potuit ut mortuis eriperet sepulcra. Judicum capitis quod ducibus suis ad insulas Arginusas victoribus Aihenienses dixerunt, optimum sit nobis argumentum.

In his regionibus, religionis formulis tam severe observatis, anatomiae studium ad majorem gradum pertinere non potuit.

Quo studio apud Romanos anatomia gaudebat, eorum optimus naturae perscrutator, ipse Galenus, ostendit, simiae sceletum humano aequale aestimans, at-

ue respectu uteri ipsius inquiens, *capri-um et vaccinum cum muliebri convenire.*

Ex quo satis constat uterum humanum ;alenum nunquam vidisse, quod jam udum Vesalius monuit.

Tantum apud Aegyptos Lagidis et hiladelphi ejus successoris permissione adavera et adeo, horrendum dictu, adhuc iventes secandi Herophilo et Erasistrato ata efflorescere potuisset anatomia, nisi m discipuli istorum medicorum ipsi ermissionem neglexissent, in via empi-ca, aestimantes, anatomiae cognitionem on esse necessariam.

Nulla vero melior sors fuit anatomae er tempus vulgo aetas mediana dictum. is obscuris et crudis saeculis omni paene udio disciplinaque litterae carebant. rabes, unica gens hujus temporis, quae litteris artibusque operam dabat, cujus udio in plurimis scientiarum partibus ultum debemus; attamen Graecorum omanorumque dicta, quod ad medici-am, nimis adorabant: quorum scripta rvasse unicum fere hujus gentis est eritum.

Denique vero, cum major et clari cultus abusum religionis et vacuam superstitionem vicisset, pontificis Romani anathema de corporem defunctorum sectio auctoritatem perdidissect, cumque per Paracelsum (cui variis e causis auctoritas major inique deest) aliosque viros ingeniosos in medicina quoque conscientia et dignitas sui esset expergefacta; tempore demum restaurationis litterarum illo etiam in anatomia observata sunt et perscrutata, quae sicut quarta orbis terrarum pars incognita fuerant nostris majoribus.

In libris scriptorum nec prioris nec nostri temporis definitionem uteri duplicis inveni, quae—modo planior c.) modo angustior d.) — prorsus mihi placeat.

Dum omnes definitiones duplicis uteri me non satisfaciunt, ut mihi juveni adhuc et his primitiis prodeunti veniam detur, rogo etiam atque etiam.

Definitio vera haec mihi esse videtur.

c) Sunt auctores, qui utero membrana partito et uno tantum orificio gaudenti duplicis nomen jam donent, quod extat his Joergii verbis (in ejus libro de mulierum morbis §. 89.), „An uterus duplex *cum orificiis duobus* et vagina duplex etc."; ex qua speciali expressione „cum duobus orificiis" perspicuum fit, etiam sine orificii duplicitate attamen uterum duplicem existere posse, ut convictus sit aut Joergius ipse, aut auctores hujus opinionis certo cognoscat.

d) Multi inveniuntur, qui duplici utero, nisi cum duplici vagina conjuncto, duplicitatis nomen haud dant.

Uterus duplex tantum appellari potest, qui duobus orificiis uterinis plane divisis in vaginam se aperit. Vagina simplex uteri duplicis nomini contradicere nequit. Haec enim nulla pars uteri sed per et pro se organon est humanum proprium, uteri duplicis nominatio autem ab eo tantum destinari et ad id pertinere potest, quod partem hujus organi constituit.

Quamquam tubae, ovaria, ligamenta rotunda et lata, ac vasa spermatica apud quemque duorum uterorum nunquam duplices, sed semper sicut normali in statu, in quoque latere simplices inveniuntur; nihilominus nomini uteri duplicis non contradicunt, et haud ejus causa, quoniam *nunquam* duplices se ostendunt, quod logice nullius causae esset, sed potius ex ea ratione, quam de vagina jam diximus, scilicet: quia nullae sunt partes uteri sed propria corporis organa.

Duplicis uteri nomini si duplicitas vaginae necessaria sit, eodem modo vagina duplex cum simplici utero, cujus

exmpla etsi rara nobis non deficiunt, duplex appellari non possit. Ut quod sentio fiat clarius, liceat uti comparatione: sicut e. g., peripneumonia haud destinatur inflammatione pulmonum atque arteriae asperae, sed tracheitide deficiente tamen sola pulmonum inflammatio peripneumoniae nomine donatur, tracheitide praesente autem peripneumoniam cum tracheae inflammatione dicitur esse conjunctam; sic etiam uterus duplex vaginae duplicitate quoque deficiente existere potest, sed vagina dum etiam duplex occurrit, cum vagina duplici dicendum est duplicem uterum conjunctum esse. Nam sicut trachea nulla pars est pulmonum, etiam vagina uteri nulla, sed omnes quatuor organa, pulmones, trachea, uterus, vagina, sunt partes singulae et humani corporis propria.

Etsi quod sit uterus duplex haec definitio destinat, tamen ob variam formam, qua nobis obvenit, plures sectiones necefsariae mihi videbantur; quarum quaeque exemplis citatis magis conspicua fiat.

Sectio prima.

Ad hanc claſsem duplices uteri pertinent, quorum singulae matrices a fundo ad orificium usque iutervallo variae latitudinis plane distant. Septum, quo uteri divisi sunt, nec quapiam e materia constat, neque e substantia matricum laterali; sed e spatio vacuo, quod inter utrumque uterum jacet.

Haec species est perrara, et casus hujus sectionis paucos tantum in libris scriptorum inveni.

Observatio I.

Uterus duplex servatus Heidelbergae et pluribus e causis insignis.

Museum anatomicum, quo casu hoc insigni praeparatu gaudet, Cl. Negelė, ab Ill. Mai profeſsore quondam et consiliario intimo, defuncto ejus socero et mulierem, cui uterus est exemptus, in partu juvanti, ipse certior factus sicut benigne mihi communicavit, nunc referam.

Saeculi praeteriti decennio septimo mulier nata viginti circiter annos bene

habita, corpore sana, et nunquam impraegnata ante, in xenodochio Manheimiensi arti obstetriciae dicato ob graviditatem suam ad receptaculum sumpto peperat. Cl. Mai (qui aeternitati commendavit nomen suum,) illo tempore hujus instituti praeses et obstetricum praeceptor, affocabatur. Os uteri invenit paulisper apertum, caput infantile praejacens, et omnia signa ejusmodi, partus maxime normalis et felix exitus efsent praesagiendi. Ill. Fischer profefsor quondam et consiliarius intimus hujus xenochii con — antistes, et aeque arti obstetriciae peritus idoneusque ac medicinae, forte affenit. Postquam Mai, ejus amicus ac collega, quod explorationis ope invenerit, ei communicaverat ipse perscrutationi aggrediebatur. Parturiente in positione jacente dorsali explorat summa cum diligentia et — quae, qualis, quanta admiratio — invenit orificium uteri neutiquam apertum, sed contrarie plane clausum et ob formam habitumque virgineo paene simillimum.

Ob quo invenerit, mulieris graviditatem aut efse inanem, aut existere extrauterinam obtinebat.

Dum eorum quisque rectifsime et summa cum attentione explorationem ut adhibuerit, erat persuasus, ac plures artem obstetriciam exercentes et viri et mulieres praesentes erant; vivax lis facile efset exorta, nisi amborum quisque de alterius habilitate adeo fuifset convictus, ita ut jurgendi vice ad subtiliorem exquisitionem rari casus statim aggrederentur. Fiducia cujusque de alterius dexteritate refutationem haud patiebatur.

Duo ocurrunt vaginae ostia duae ipsae vaginae haud septo sed intervallo vacuo devisae, et duo uterina orificia, quorum unum prope ad pollicem usque apertum erat, alterum autem virgineo simile. Causa diversi inventi exquisitione orti haec erat manifesto, ut ambo diversis vaginis explorafsent.

Caetero partus maxime normalis: mulier autem primo die post partum optime habita, jam secundo atrocibus doloribus in regione hypochondriaca sinistra

cum Febre junctis cruciata post peractum partum obiit die nono. Fit sectio et invenitur in liene ruptus abscefsus, ex quo pus copiosum in alvi cavum Fluxerat.

Observatio II.

Foemnia duobus infantibus jam gaudens in nosocomeo obiit Holmiae a gangraena uteri erepta. Praesente Acrel, abs quo casus descriptus est *e.*), fit sectio et invenitur uterus duplex completus. Duae singulae matrices, jam prioribus partubus fortafse discessae, intervallo vacuo distant. Vagina erat simplex. Tabulae aeneae descriptioni adjectae omnia optime praesentant (monographia de hoc casu ab Acrel edita ad oculos mihi non venit.)

Observatio III.

Canestrini *f.*) in sectione mulieris quarto graviditatis mense defunctae invenit uterum duplicem Vagina erat simplex, ne septo quidem divisa. Foetus in matrice minori efformatus et ruptura uteri in ventrem lapsus ibi in membranis suis detectus

---

e.) Chirurgische Vorfälle tom I. pag. 96. De utero duplici. Holmiae 1762.

f.) Historia de utero duplici. 1788.

erat. Duo meatus, sic tenues, seta ne porcina quidem permeare poſset, ex hoc minori utero ducebant ad vaginam et collum matricis majoris. Haec autem ter fere major clausa erat, et impleta quodam liquore. Foemina post graviditatem semper bene superatam bis feliciter jam peperat.

Sectio Secunda

Haec claſsis continet uteros duplices, qui spatio vacuo vel intervallo prorsus distantes collo communi tantum cohaerent.

Obseravtio I.

In muliere hydrope mortua Hartmannus g.) detegit duos uteros collo tantum cohaerentes. Uterus minor tenui orificio se aperibat in collum majoris, cujus cavum mola erat impletum. Vagina erat simplex. Foemina jam prius peperat.

Observatio II.

Mulier annorum quadraginta octo ante puerperium quodque sanguinis fluxum e vagina paſsa, et posthac semper male ha-

g.) Miscel. natur curiosor. Decur x. ann. V. observat. LXVIII. pag. 147.

bita, in matrimonio natos quatuordecim peperat, inter quos gemini quinto graviditatis mense geniti erant, post quem gemellorum partum eodem mense adhuc semel foeminam dicitur foetum edidisse Denique foemina correpta phthisi tuberculosa decessit Sectione facta Bagard *h*) detegit uteros duos in fundo ad pollicis latitudinem distantes. Utroque erat collum commune. Quaeque matrix piri sicut in normali habebat figuram.

Observatio III.

Purcell *i*) descripsit uteros duos, quibus collum erat commune. Una matrix continebat foetum efformatum altera vacua. Utraque eandem habebat magnitudinem. Vagina septo in duos canales erat divisa. Canalis dexter ducebat ad utrumque uterum, sinister autem erat coecus vel sine exitu. Per rimam septi quandam duo canales nexum habebant, quo etiam per va-

---

h) Traité pratique de l'Hydropisie et de la Jaunisse par M. Marquet. à Paris. Pag. 144. — Commentarium de rebus in scientia naturali et medicina, gestis 1771. Vol. XVII. pag. 688.

i.) Philosoph. transact. Vol. LXIV. pag. 27.

ginam sinistram impraegnatio fieri poterat.

Observatio IV.

Uterum duplicem descripsit BOEMER k.) detectum in muliere annos LVI nata, cujus utrumque orificium communi collo ad vaginam hiabat.

Observatio V.

Lettre *l.*) invenit uteros duos excepto collo communi membrana partito plane distantes. Orificium cujusque matricis se patefecit ad vaginam. Quae etiam septo erat divisa. Ambo uteri in forma ac structura sibi similes.

Observatio VI.

In sectione puellae XXV. annorum in xenodochio Argentoratensi obitae Duvernoy *m.*) detegit uteros duos. Collum commune septo perpendiculari ad lineae quartam partem crasso in duo meatus divisum ducebat ad vaginam quoque membrana carnosa in duo canales partitam. Introi-

---

k.) Observationes anatomicae.

l.) Histoire de l'Academie de Sciences l'An 1705. pag. 47.

m.) Commercium litterarium ad rei medicae incrementum institutum. Ann. MDCCXXXIII. pag. 195

tus dextrae vaginae ostendebat adhuc hymenis vestigia. Cuique utero erat longitudo linearum XVII. et olivae forma.

Ostia tubarum Fallopii in latere matricis, ut vulgo, haud erant patefacta, sed in fundi acumine, et una tubarum habebat finem ovaria valde cingentem.

Sectio tertia

Huic claſsi adscribendi sunt uteri duplices, qui ex uno corpore constant; et nullo vacuo spatio, sed septo tantum membranaceo in duas matrices sunt partiti. Duo orificia, quae tota a fundo ad vaginam usque divisione oriuntur, inter hanc duplicis uteri speciem et uterum bifidum (uno orificio tantum gaudentem) discrimen constituunt.

Observatio I.

In sectione puellae. pro hermaphrodita habitae Riolanus (n.) reperit uterum a vagina ad fundum pariete duplicatum

Observatio II.

Callisen (o.) invenit uterum septo

---

n.) Anthropographia lib. II. pag. 197.

o.) Collect. societat. medic. Haffniens. Vol. I. pag. 146.

intermedio in duo corpora partitum. Duo orificia hiabant ad vaginam etiam membrana duplicatam et duobus hymenibus praeditam. Descriptioni tabulae aeneae adjectae sunt.

Observatio III.

In sectione puellae annorum XIX. Eisenmanno *p.*) occurrit uterus septo intermedio duplex. Uterus duobus orificiis in vaginam quoque duplicem et duobus hymenibus ornatam se aperibat.

Figuris pulcherrimis descriptio gaudet.

Ob descriptionis brevitatem et ob perspicuitatem scriptorum nonnullorum libris deficientem plures observationes in scriptis adhuc inventas cuipiam sectioni cum distinctione afferre non potui: quarum sunt.

---

p.) Tabulae anatomicae IV. uteris duplicis. editio altera. Argentorati 1782. — Vogel medizinische Bibliothek. Band III. Seite 392. — Lieutaud, historia anatomico medica. Tom. I pag. 424. — Grauel. Dissertatio de superfoetatione. etc. 1738.

Observatio I.

Gruger *q.*) chirurgus Danicus in sectione mulieris in puerperio mortuae reperit uterum duplicem, cujus duo orificia in vaginam simplicem se aperibant.

Observatio II.

Osiander *r.*) dum describit uterum excrescentiis praeditum, ejus cavum refert duplicem fuisse.

Observatio III.

De la Marche *s.*) obstetrix Parisiensis in muliere in xenodochio Hotel-Dieu vocato mortua detegit uterum duplicem. Dextra matrix paulum major erat quam sinistra.

Observatio IV.

Peyer *t.*) describit gemellos monstrosos partibus obsoenis coalitos qui duplici

---

q.) Histoire de l'Academie de Science. l'An 1743. Callisen. collect. societ medic. Haffniens. Tom I pag. 150.

r.) Annalen der Geburtshülfe. Band I. erstes Stück. Seite 213.

s.) Instruction familiere aux sages femmes pour bien pratiquer les accouchements. Tom I. figure I. et II. Commerc. litt. ad *r. m.* incr. institut. Norimb. 1733. pag. 195.

t.) Miscell. natur. curiosor. Decur. II. ann. II. observat. CXI. pag. 267.

et utero et vagina gaudebant.

Observatio V.

Mulier, post cujus obitum sectio duplicem ostendit uterum, infantem peperat. Septum vaginae inter partum rupit, et sic vagina e duplici simplex facta; tribus mensibus peractis foemina denuo peperat foetum perfectum. Baldinger (u.) hunc describens casum verba adjecit:

„In hoc casu vera erat superfoetatio, et mulier bis peperat."

Observatio VI.

Bartholinus *a.*) refert de utero dupici cum duabus vaginis, per quarum majorem natus exierat.

Observatio VII.

In sectione infantis pro hermaphrodito habitae Linceus *x.*) observavit uterum duplicem. — Librum ejus de historia Mexicana casum hunc continentem non legi.

---

u.) Neues Magazin VI. Seite 473.

v.) Ejus epist. centur. III. epist. II. pag. 10.

x.) Miscell. natur. curiosor. Decur. I. ann. I. observat. 110.

Scriptum vero citatum haec nobis dat verba. „Harum una matrix intus penitus „abscondita nec servicem ad externum „porrexit, altera in dextro latere exterius „collum suum proluxit, et vulvam dictam „constituit, quae visa quidem sed haud „judicata, quod ductus ille adeo angustus, „ut vix aciculae caput admiserit, et sic „infans duplex foemina inventa fuerit."

Observatio VIII.

In puella annorum XXVI. defuncta HALLER *a.)* detegit inter plures abnormitates duplicem quoque uterum cum duabus vaginis.

Observatio IX.

In ventro mulieris, quae jam semel peperat, invenitur uterus septo in duas partes divisus *b.)*. Ad vaginam detegi non poterat via, dum orificium uterinum in solidum ligamentum degenerarat. An unius orificii tantum vel duorum vice ligamentum positum erat nullius fit mentionis.

---

a.) Lieutaad historia anatomic. medic. Vol. I. p. 423.
b.) Miscell. curios. Deiur. II. ann. II. observat. LXVII. pag. 143.

Observatio X.

Dupuytren (*e.*) profefsor facultatis medicae Pariis praeteritis vix nonnullis annis in mulierè tum adhuc vivente invenit uterum duplicem. Vagina simplex duceba ad collum uteri in parte inferiori normaliter instructum. orificium uterinum ad immifsionem unius digiti satis apertum erat. Digitus in medio matricis quodam obstaculo in latus se vertere coactus ipsius tranversum partitae in sinistro et dextro latere cavitatis orificium detegit; quorum utrumque orificium ad cavum uteri superius ducebat. foemina Gardien etiam exploranti ob mollitiem et dilatationem orificii unius haud multo ante peperifse videbatur: sed accepta indicia praesumptionem haud confirmabant. (cavum uteri superius septo aliquo etiam duplex fuifse haud est nunciatum; sed, quod duo orificia ad hoc cavum superius ducebant multo verisimile; et sic e tribus cavitatibus hic uterus constaret.)

---

e.) Traité complet d'Accouchemens et des maladies des filles des femmes et des enfans, par M. Gardien. à Paris 1816. Tom. I. pag. 136.

Adhuc plures scriptores, qui de utero duplici nobis mentionem faciunt, dum neque eorum scripta, neque excerptiones quidem ex eorum operibus ad oculos mihi veniere, tantum nomine indicare poſsum; quorum sunt

Cattus. Isagoga anatomica.

Tham. Diſsert. de genitalium sexus sequioris varietatibus imprimis de utero duplici Hal. 1799.

Rousset. de partu caesareo. latin. vert. Caspar. Bauhin. 1582. (in appendice)

Saviard. nouveau recuel d'observations chirurgiques. (pag. 398.)

Valisneri. Opp. (tom I. pag. 358.)

Heuermann. physiologia (tom III. pag. 424.)

Forlani. rarior. observation. medic. anatomic. practic. (pag. 2.)

Boesefleisch. in actis academicis Moguntinis 1761.

Behr. Physiologia medica (pag 67.)

Mohrenheim. Deſſen Beobachtungen (II. pag. 187.)

Hommel. Deſſen Briefe an Haller (erſtes Hundert.)

Salzmann. Dissert. de utero duplici.
Meckel. de utero duplici.
Iournal De Medecine. Vol. vi. pag. 28 et vol XIII. observat 6.
Iournal Des Savans. An 1697. tom. XXVI. pag. 581.
Acta Medica Berolinensia. Decas I. vol IX. observ. 6.
Acta Erudit. Lipsiens. 1788 (pag. 115, (415.)
Commentaria Lipsiens. Vol XVI. pag. 51 et 688.
Acta Silesica. Vol VIII. Nro I.

Clar. Joerg auli consiliarius et artis abstetriciae professor Lipsiensis in libro suo de mulierum morbis (d.) his verbis utitur.

„An uterus duplex cum orificiis duobus „et vagina duplici impraegnari possit et „ad tempus normale onere lieberetur no„bis est incognitum. Uterus a Boehmer „citatus in muliere quadam inventus est,

d.) Handbuch über die Krankheiten des menschlichen Weibes. Leipzig 1809. 589. pag. 83.

„quae anno aetatis vicesimo primam men-
„struationem erat paſsa, et etiam eodem
„tempore conjugium inierat. *utrumque
„autem duplicis vaginae tam coarctum
„erat orificium, ne coitus ordinarius et
„normalis fieri poſset.* Menstruatio mox
„post conjugium initum per aliquot annos
„ceſsavit et mulier malae valetudinis est
„facta. — Duo casus ab Eisenmanno et
„Meckel patefacti hujus respectu minime
„valent. Observatio Eisenmanni ad
„virginem annos XIX. natam pertinet,
„de qua ne dicitur quidem an menstruatio-
nem sit paſsa; et Meckel invenit uterum
duplicem in puella obita".

Etsi descriptionem uteri duplicis sim-
plicem tantum mihi proposui et certamen
igitur de ejus impraegnatione, superfoe-
tatione etc ad hunc tractatum meum non
spectat; attamen haec Cl. Joergii dicta
„*matricem duplicem cum duobus orificiis
uterinis ac vagina duplici impraegnatio-
nis ne simplicis quidem potentem eſse*"
silentio praeterire nequeo, dum non-
nulli casus in meo opere relati huic opinio-
ni prorsus repugnant, praecipue autem

historia uteri duplicis ab Ill. Mai detecti: de cujus veritate tum annales xenodochii Manheimiensis arti obstetriciae dicati et testes adhuc viventes, tum uterus ipse Heidelbergae servatus omnino mihi persuasere. Rationem, quae Cl. Ioergium ad hanc opinionem moverit, in his ejus verbis me invenifse credo. „*sed utrumque vaginae duplicis orificium tam arctum erat, ne coitus normalis fieri pofset*". Haec causa vero, quod vagina duplex immifsionem membri virilis ob angustiam non sinat, nullius est pretii. Historia medica et praecipue medecina forensis toties nobis ostentunt, ut foeminae jam gravidae sunt factae, quarum hymen ne violatus quidem erat coitu, aliaeque ipsae, quarum genitalia interna atresia clausa erant.

Ill. Metzger *e.*) his verbis utitur „in coitu viri parvo pene praediti hymen inviolatus manere potest". Comparandi sunt. walter *f.*) Tollberg *g.*) O-

e.) System der gerichtlichen Arzneiwissenschaft. 4te Ausgabe 1814. §. 480. pag. 462.

f.) Beobachtungen über die weibl. Geburtsth. Berl. 1795.

siander *h*.) Fabricius Hildanus, *Zacchias*, Haller, Schurigius, Mauriceau, et multi alii; in quorum scriptis e coitu sine laesione hymenis jam conceptionem efse ortam docemur.

In eodem opere a Metzger edito memoramur (486. Nota b.) facultatem medicam Lipsiensem ita judicafse, ut sine membri immifione coitus et impraegnatio fieri pofsit. Idem, quod haec facultas judicarat, etiam Metzger ipse prorsus exprimit (§ 519 pag. 503.) inquiens; „ad „impraegnationem veretri totam immif„sionem haud semper efse necefsariam „observationes extra dubitationem ponunt."

Clariss. Gruner, excelsus inter medicos — heu jam ad inferos translatus — in annotationibus ad hoc opus a Metzger editum ab eodem errore, in quo Cl. Joerg versatur, captus videtur haec pronunciando: „Es ist zwar hiergegen erinnert worden,

g.) De varietate Hymenum. Halae 1791.

h.) Annalen. Band I. Seite 179. Denkwürdigkeiten für die Heilkunde und Geburtshülfe. Band II. S. 1. und Band II. Stück 2. Seite 459.

„die Überfruchtung könne doch wenigsten's in „einer doppelten Gebärmutter statt finden, al„lein dies ist es eben, woran ich zweifle. Wenn „diese doppelt d. i. durch eine Scheidewand ge„theilt ist, so kann keine von beyden Hohlen „einen Foetus gehörig beherrbergen. Ist sogar „die Scheide doppelt, wie in Eisenmann's „Falle, (de utero duplici. Arg. 1752 und „1764), so kann die Person auch nicht „den Mann zulassen, weil jede „Scheide gar zu enge ist." (vid. Not. c. ad §. 500 pag- 483.). Uterus in normali saepe gemellis impletus invenitur, itaque quodque uteri simplicis dimidium foetum recipiendo est satis spatiosum: uterus septo duplex occurrens nil spatii perdit; cur igitur duplicis matricis dimidiae parti foetus inhabitare nequit? jam Bauhinus, Baudeloque et alii dicunt, ubi superfoetatio existit, etiam certo duplex mater invenitur — quod tamen dictum quidem nimis multum. Nulla quoque observatio in tertia sectione mea repugnat his ejus verbis.

„Wenn Diese doppelt d. i. durch eine Scheidewand getheilt ist, so kann keine von beyden

Höhlen,, einen foetus gehörig beherbergen"; de quibus igitur omni judicio me abstineam. Etiam inquienti vero,, so kann die Person auch nicht den Mann zulassen, weil jede Scheide gar zu enge ist. multum mihi contradicendum!

Si Grunerum quoque de nonnullis observationibus (tertia sectionis II. et quinta ac sexta extra sectiones) in meo scripto relatis haud comunicatum aut diffidentia arreptum experientia docuit, nullam foeminam et utero et vagina duplici praeditam unquam impletam efse: attamen id fieri pofse nulla ratio centradicere potest, quia omnes rationes ad normam tantum pertinent, et in anomali nullum habent locum, praesertim haec ratio Grunero absolute edita. Cur in quantitate abnormitas simul in qualitate existere nequit? Quare utriusque vaginae cuique, quod ad amplitudinem et circuitum, simplici et normali aequalem efse haud licet? Extra plures alios ipse Metzger impraegnationem vagina duplici haud impediri concedit, quod exstat his ejus verbis,, — ,,eine Doppelscheide, große sehr verlängerte

„oder dreyfache Schaam — oder Wasserlefzen „u. dergl. wenn diese Abweichungen nicht immer „den Beyschlaf und die Zeugung hindern etc"

Quomodo autem Cl. Gruner in nota c. ad §. 500 et b. §. 548 impraegnationem per vaginam duplicem prorsus negare — et in nota b. ad eundem §. 560 his verbis uti poterat: „Diese (Ueberfruchtung) dürfte „statt haben, wenn bey einer außer der Mut„ter zurückgebliebenen Frucht noch eine andere „in der Gebärmutter erzeugt würde, oder „wenn eine doppelte Gebärmutter „und eine Doppelscheide vorhan„den wären" — hanc controversionem haud comprehendo. Posito autem quamque duplicis vaginae ob angustiam membri immifsionem haud sinere, alio modo, jam supra dicto, tamen impraegnatio fieri potest, scilicet: aut parvo tantum aut ne ulla quidem colis in vaginam immifsione. Eo föminam impleri pofse. a multis cl. viris et a Metzger quidem ipso (§. 519 et 530) concefsum et confirmatum pluribus exemplis refutari omnino nequit. Observatio memorabilis ab Hallmann edita etiam sine Hymenis

violatione conceptionem haud eſse negandam optimum nobis argumentum. Mulier XXIV. annos nata jam per septem annos in conjugio vitam agens nunc primo gravida est facta. Impletione peracta et doloribus normaliter ingredientibus mulier parturire nequit. Hallmann affocabatur et explorationis ope vaginam hymenis coalitione in forma annulli craſsi carnosi et tendinosi ita clausam invenit, digitus difficulter tantum et parturienti dolorifice inire poſset.

Mox tum foemina denuo erat impleta. Ante primum partum nunquam ad locum colem suam inire potuiſse maritus testabatur *f.*) (vid. Kopps Jahrbuch der Staatsarzneykunde. 9. Jahrgang. Frankfurt. 1816. Seite 272.)

Nihilominus Gruner absoluta negat, quod haec ejus verba docent „Dadurch iſt das weibliche Unvermögen außer Zweifel geſetzt.“ (Nota b. ad §. 548.) Haec ejus verba

f.) Extra plures similes in multorum scriptis etiam Walter in opere citato huic observationi multo aequalem memorat.

perspicue testantur sine veretri in vaginam immifsione nullam generationem eum existimare.

Nimis obscurus adhuc est procreationis actus, ut absolute dicamus, tali modo conceptionem fieri et tali haud fieri posse Theoria nostra aetate primo orta, qua semen virile solam in vaginam immittitur et ibi resorbetur, aut altera, qua semenali aura tantum fit impraegnatio (quam Walter jam pronuntiat et Kopp rationibus optimis defendit,) procreationem quoque sine membri in vaginam immifsione maxime favent. Quibus argumentis ostendi potest utramque theoriam hanc falsam efse, et eo modo generationem nunquam fieri ullum? Metzger et ipse Gruner afsentiunt hypospadiaeorum potestatem natos generandi concedentes. (vid §. 519 et Notam a. huic §. adjectam. —) Tractatus ab Ill. Kopp „über Hypospadiäen und ihre Zeugungsfähigkeit, nebst einer hierher gehörigen merkwürdigen neuen Beobachtung, g.) de hy-

g.) Staatsarzneykunde. Jahrg. III. Seite 228.

pospadiaeorum generandi potestate, et sine spermatis igitur ad uterum usque ejaculatione de aura seminali tantum aut de jam in vagina resorbtione adversarios saevissimos quoque plane persuadebit. De qua theoria et hypospadiaeorum potestate tum convictus, quis coitum sine membri in vaginam immissione foecundum negabit?

Adhuc multum esset mihi dicendum, sed omne certamen „an uterus duplex cum duplici vagina impraegnationem sinat" est superfluum, ubi experientia docet: et observatio I. in mea dissertatione relata et Cl. Ioergium et omnes alios tali errore constrictos de meliori convincet.

Non fingendum, aut excogitandum, sed inveniendum, quid natura faciat, aut ferat.

Curriculum vitae
ex Decreto
Gratiosi Medicorum Ordinis Berolinensis
adjectum.

Ego Michaelis Mayer Hanoviae anno MDCCXCVI natus primam eruditionem in hujus urbis Gymnasio accepi A. MDCCCXIV cum maturitatis testimonio hunc eruditionis locum relinquens, primo Academiam Heidelbergensem visitavi, ubi Ill. professores: Ackermann anatomiam et Physiologiam: Tiedemann easdem doctrinas et Zoologiam: Fries Physicam et Psychologiam: Schelver Botanicen, Mineralogiam, Historiam naturalem, et animalem Magnetismum: Gmelin Chemiam, et Materiam medicam: Mai Pharmaciam: Sebastian Diaeteticam et Semioticen: Conradi Encyclopediam et Methodologiam medicam, Pathologiam et Therapiam tum generales tum speciales et Medicinam forensem: Moser Chirurgiam et Naegele artem obstetriciam me docuerunt.

Praeterea doctores privatim docentes DIERBACH et GEIGER repetitorium botanicum et notionem medicaminum et scientificam et mercantilem mihi tradidere. Clinicam medicam duce CONRADI, et clinicam arti obstetriciae dicatam duce NAEGELE frequentavi. Artem cadavera rite secandi WINTER prosector in theatro anatomico me docuit.

Simul etiam in philosophicis Cl. FRIES, philologicis et historicis Cl. viros WILKEN, WAGEMANN et VOSS audivi.

Denique anno MDCCCXVII paternam domum redux ad annum MDCCCXX usque ibi manere coactus fueram. Tunc autem Bonnam profectus Clariss. viris ibi fruebar, qui hanc novam Musarum sedem ornant. Illustriss. a WALTHER, mihi semper venerandus, doctrinis suis de Chirurgia et generali et speciali, de hujus disciplinae parte operativa, de Ophthalmologia, et de ossium fracturis et Luxationibus multum fructus et voluptatis mihi praebuit. Clariss. NASSE de Febribus et Inflamationibus: Cl. BISCHOFF de Pharmacologia Cl. HARLESS de Galeno: et Cl. WINDISCHMANN de Philosophiae historia praelectionibus interfui.

Doctores privatim docentes KRIMER in Zoochemia experimentali: et WEBER in praelectione de legali sectione cadaverum theoretice et practice habita audivi, cui viro repetitorium quoque anatomicum debeo. Insuper clinicas Medicinae Chirurgiae artique obstetriciae dicatas ducibus NASSE, a WALTHER et Cl. STEIN practicando adivi.

Denique anno MDCCCXXI. Celleb. Berolinensem Academiam petii, ubi civibus academicis die III. mensis Novembris Rectore Magnifico WILKEN adscriptus sum. Hic per semestrem adhuc academicis studiis sacratum, exceptis Ill. RUST de Chirurgia et Ill. GRAEFE de AKURGIA collegiis, practicis tantum scientiae partibus tribui tempus meum, et itaque cum policlinicum et clinicum medicum, tum institutum chirurgicum visitavi, ubi Nobiliss. viri HUFELAND, BERENDS et GRAEFE ad praxin me duxerunt.

Nunc autem tentamine et rigoroso examine rite peractis spero, fore, ut post dissertationem publice defensam doctoris Medicinae et Chirurgiae honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I.

In circulatione sanguinis ad caput turbata derivationis et receptaculi es destinatio est glandulae thyreoideae.

II.

Meliori successu majorum tempore quam nostro gaudebat gastro hysterotomia.

III.

Nomenclatura medicaminum novissima antiquis praeferenda.

IV.

In sectione caesarea uteri incisio transversalis longitudinalem et obliquam antecellit.

Errata.

Pag. 5	lin. 1	pro ommium	leg. omnium
— 10	— 6	p. alii	l. aliis
— 10	— 15	p. judicum	l. judicium
— 11	— 15	p. anatomae	l. anatomiae
— 12	— 4	p. corporem	l. corporum
— 12	— 5	p. perdidissect	l. perdidisset
— 17	— 13	p. xenochii	l. xenedochii
— 18	— 1	p. quo	l. quod
— 22	— 4	p. uttrumque	l. utrumque
— 28	— 5	p. duceba	l. ducebat
— 30	— 24	p. 589	l. §. 89.
— 36	— 7	p. 560	l. 500
— 37	— 19	p. absoluta	l. absolute

14)